S. D.

Reverende et doctissime Vir
D. atq. Amice Colende.

De impetrato tibi Rectoratu Basileensi, si quisquam alius, ego certo ex animo tibi gratulor. Atque tanto magis, quanto avidius ego mihi similem conditionem, si in ecclesia docendi non detur, exoptem. Serio me hoc scribere, argumento tibi erit, quod cum mihi renunciatum esset Schafhusianos scholam illustrem aperturos, ejusque regimen Dno Aegidio Tonsori, oblatum, et ab eo recusatum, ego et Virorum quorundam, id mihi suadentium, judicio, quod non aspernandum existimavi meam qualemcunque operam Reip: ipsi offerendam duxerim. qua de re ad Cl. A. DD. Lingelsheimium ut et ad Magnif. et ampliss. D. Petrum Brederodium, nec non et ad Gener. Baronem a Winnenberg et Beilstein herr, dedi easque Cal: Febr. ad D. Lingelsheimium per tabellarium Spirensem perferendas curavi. Verum a nemine illorum ne verbulum quidem mihi responsum. Forte, quod vel isti loco de persona digniore prospectum: vel literae meae non sint redditae: Inter spemque metumque fere hucusque ad nundinas dubius haesi; et me hac cogitatione distuli, quod apud mercatores vestrates responsum mihi missum iri putarem. Sed cum neque literas acceperim, neque Gener. herr, qui mihi adfuit, quidquam de hac re sciret, cum tamen se et vicinum et familiarem Dno Brederodio diceret, non putavi committendum, quin te per literas compellarem et pro nostra amicitia rogarem ut mihi scrupulum hunc eximas et quo in cardine negotium hoc Schafhusianum versetur, ex Dno Brederodio cognoscas

et ad me perscribas. Imprimis cum necessitas ipsa, ut hoc faciam me urgeat. Edictum enim est nobis ministris à Senatu nro ut ad diem Pentecostes urbe excedamus: sua sunt ipsis rationes de quibus viderint. Ego et alii quo nos vertamus non habemus. Et Hanovienses hoc agunt manibus pedibusque ut nos ab isto loco excludant. Scio quid tu ad D. Cnefelium scripseris. Sed ubi receptum quaeremus: si ab illis qui eandem cum nobis fidem profitentur aditu prohibemur! Ego jam mi septem annis hoc sapum volvo. Et didici parvo contentus esse. Si aliter non poterimus etiam ad eos, quos scimus nos à se optare exclusos, nobis migrandum erit. Hac lege ut potius atro pane et aquâ vitam sustentare velim, quam alicui esse gravis. Caeterum est quod Te peculiariter ego velim rogatum. Meministi me ante annum ad te scribere, me meditari Ideas in Cantica Bibliorum Vet. N. T. Ea jam confecta habeo. Et spes mi facta est à Viduâ Jonae Rosae, se curaturam ut his proximis nundinis prodirent. Eadem causa et ante annum, titulum in Catalogum referendum curavit. Quin et à me petiit, ut titulum mutarem Ideis Psalmicis à me editis promissum ut illis tanquam appendix haec cantica et psalmorum complementum accederet. Cum animum Vidua mutavit. Causatur infelicitatem annonae librariae, forte aliud causae subest. quod nervi desint et mu- - - contracta nomina. Jam vero ego cu- - - ... ea Exemplar quod penes se habe- - - pellere, si haberem alium

alium Typographum — in re tuam operam im-
ploro: ut cum Typographis vestris hac de re loque-
ris et eis opus meum commendis. De quo aliud di-
cas, quam quod ad exemplar Idearum Idearũ
Psalmicarum sed majori diligentia sit confectum.
Quod si aliquem inveneris dabis operam ut ad
Johannis d. ad vos certo mittam. Excrescet opus
usque ad paginas LXX circiter 70 bogen. Pactus
sum cum viduam Rosana floreno pro singu-
lis paginis bog. Qua conditione vestri bibliopolae
accepturi opus sint videbimus. Quod quaeso
sit ad me cum reliquis perscribas. Viro M. et A.
D. Brederodio me commendes. Vale et salve
17. April. 1628. Dedi Wormatiae

T. Studiosiss.

M. Johannes Adamus.

Quid de hospitio de te
typographo spei fac me
sciam.

Rev: Doct.mo Viro Dn̄o M. Dan:
Toſſano Scholae Basil. Rectori dignissimo
Dn̄o atque amico V.
Basell.